

**De haemophilia : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendent  
Richardus Otte ; adversariorum munere fungentur Aemilius Schmidt,  
August. Ropertz, Pet. Daniels.**

**Contributors**

Otte, Richard, 1840-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Bonnae : Typis expressit Petrus Neusser, 1864.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/qk2djkb4>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

6

# DE HAEMOPHILIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTERARUM

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILIELMIA RHENANA

AD SUMMOS

**IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA**

RITR IMPETRANDOS HONORES SCRIPSIT

ET UNA CUM THESISIBUS ADIECTIS

**DIE XIX. MENSIS MARTI ANNI MDCCCLXIV**

PUBLICICE DEFENDET

**RICHARDUS OTTE**

BRANDENBURGENSIS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

AEMILIUS SCHMIDT, MED. DR.

AUGUST. ROPERTZ, MED. CAND.


PET. DANIELS, MED. CAND.

---

**BONNAE**

TYPIS EXPRESSIT PETRUS NEUSSER.

MDCCCLXIV.



DE HAEMORRHOIDALIA

DISSERTATIO INATTEGRALIS MEDICAE

CONSENSU ET AUCTORITATE CENSURAE  
MEDICORUM ORDINIS  
IN ALMA REGIA UNIVERSITATE  
UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILLIELMA BEROLINENSIS  
AD PRIMUM  
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICA

ET LXXI CUM THEATRIS ADJECTIS  
DIE XIX. MENSIS MARTII ANNI MDCCCXIV

RICHARDUS OTTE

ADVERSARIUM NUMERUM FUNDERUNT:  
ALFREDUS SCHMIDT, MED. DR.  
ALFREDUS ROBERTS, MED. CAND.  
PET. DANIEL, MED. CAND.

BEROLINAE

TIPOGRAPHIA FRIEDRICH WILHELM  
MDCCCXIV



# **PATRI CARISSIMO ET DILECTISSIMO**

**HASCE**

**STUDIORUM PRIMITIAS**

**PIO GRATOQUE**

**ANIMO**

**D. D. D.**

**A U C T O R.**

PATRI CARISSIMO ET DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATULOR

ANIMO

D. D. D.

AUTOR.



## **I. Quae de haemophilia scripta sunt componuntur.**

Antiquissimus de haemophilia nuncius invenitur apud Abulkasim el-Zahrewi, medicum arabicum Cordubae, sub fine anni MC. Anno 1784 Fordyce et anno 1793 Chemnitz de aliquo, qui in hunc morbum inciderat, retulerunt. Nostri autem saeculi initio Otto („An account of an hemorrhagic disposition existing in certain families by John C. Otto of Philadelphia,“ Med. and phys. journal for the year 1808. Jul.), Rush, Boardley, Hay et Buel multifariam eum consideraverunt. Deinde Fr. Nasse accuratius hanc rem est perscrutatus, („Von einer erbl. Neigung zu tödtl. Blutungen,“ Archiv für med. Erfahrungen von Horn, Nasse und Henke 1820. p. 385). Idemque („Rhein. u. westph. Correspondenzbl. 1845, Nr. XIV“) Schönlein nominavit morbum illum „haemophiliam“, eamque in pathologiam introduxit.

Praeterea nominandi sunt autores: Keller, („Von der erbl. Neigung zu tödtl. Blutungen,“ Inaug. - Abhandlg., Würzburg, 1824. Elsaesser, (Hufelands Journal für pract. Heilkunde 1824, Febr. p. 89, Sept. p. 109; 1828, Nov. p. 122). Hopf „Ueber die Haemophilie,“ Inaug. - Abhdlg., Würzb. 1828). Rieken („Neue Untersuchungen in Betreff der erbl. Neigung zu tödtl. Blutungen,“ Frankf. 1829). Schliemann („De dispositione ad haemorrhagias perniciosas



hereditaria," dissert. inaug., Wirceb. 1831). Escherich („Geschichte eines Bluters," Schmidt's Jahrb. 37., XIV., p. 25). Rösch („Untersuchungen aus dem Gebiete der Heilwissenschaft, I. p. 201., Stuttg. 1837"). Grandidier („Ueber die erbl. Neigung zu tödtl. Blutungen, od. die sogen. Bluterkr.," Hannov. Annalen 1839. IV. p. 1). Gabriel, („De haemorrhagiis hered.," diss. inaug. Ber. 39). Plumicke („De haem. hered.," diss. inaug. Ber. 45). Wachsmuth („Die Bluterkrankheit," Magdeb. 49). Lange („Statist. Untersuchungen über d. Bluterkr.," Oppenheim's Zeitschrift f. d. ges. Med. 1850. October). Stöhr („Ueber Haem.," inaug. Abhandlg., Erlangen 1850). Hyde-Salter (Med. Times and Gaz. March. p. 253). Meinel, („Beitrag z. Gesch. der Haem.," Jenaische Annal. 51. VI. p. 293). Ed. Martin, („Bemerkgn. über d. Bluterkr.," eodem loco p. 307). Fournier („Quelques reflexions à propos d'une observation de purpura haem.," Gaz. des hôpit. 51. Nr. 123). Grandidier („Die Haem.," Kassel 55). Virchow (Handb. über spec. Path. u. Ther. I. 263), idemque (Deutsche Klinik Nr. 23. 1856). Lemp (Diss. Berol. 57). Schrey (Diss. Ber. 59). Grandidier („Ueber Haem.," Schmidts Jahrb. f. pr. M. 1863, Nr. 3).



## II. Nova haemophiliae observatio.

Ludovicus Rothacker, Nonis Julii MDCCCXLIX natus est ex parentibus etiamnunc vivis et sanis. Pater quidem iuvenis, necdum nuptiis iunctus, sine certa causa admodum larga conflictatus est narium haemorrhagia, quae sex per horas durans, eum prorsus debilitavit et attenuavit, sed nunquam inde ab illo tempore rediit. Nonnullis annis post autem idem aliquamdiu doloribus rheumaticis laboravit una cum hydarthro dextri genu articulationis, atque paullo post stomacho, ut dixit, epileptiformibus affectus est convulsionibus, quae eodem anno bis redierunt. Nunc iam aliquot per annos bona cum valetudine caementarii munere fungitur.

Ex uxore, gravibus morbis nunquam afflicta, praeter eum, de cuius morbo nostra est dissertatio, filium maiorem suscepit, qui tres annos natus per operationem ecchymoseos capitis, quam per casum ex alto susceperat, nimis longa sanguinis profusione interiit.

Praeterea frater patris Rothackeri et filius alterius fratris ad voluntariam haemorrhagiam ex naribus admodum proclives esse dicuntur. De valetudine superiorum huius familiae generum plane nihil constat.

Ludovicus R. primo aetatis anno bona utebatur valetudine; variolarum insitio bene successit, sed mox erysipelas capitis et faciei apparuit, post quam diathesis haemorrhagica, postea exulta, incepit. Primum saepissime cerne-



bantur admodum profusae haemorrhagiae ex naribus, semper magno faciei rubore antea indicatae. Posterioribus annis etiam saepe edendi ardore nonnullis horis ante quam illae evenerunt vexabatur. Post quas sanguinis profusiones interdum cutis et membranae mucosae aspectum inanimum ceraeque similem prae se ferebant, et aegrotus paullatim tantum exsequentibus animae deliquiis reffectus complures per dies de violentis capitis doloribus conquerebatur. Haemorrhagiae intervallis unius hebdomadis usque ad intervalla sex hebdomadum, atque ita quidem, ut profusiones vehementiores laesiones vel punctas vel scissas dentisque extractionem consequerentur redierunt; neque tamen omnis vasum in continuitate divisio haemorrhagias pariter periculosas effecisse dicitur.

Octo annos natus aegrotus laboravit morbillis, qui, ut scarlatina proximo anno erumpens, mite praeteriebant. Per hos morbos acutos diathesis haemorrhagica latuisse dicitur. Nonnullis mensibus post morbillos aegrotus queri coepit de rheumaticis articulationum doloribus, mox natura rheumatismi articulorum chronici praeditis. Praecipue dextri genu articulatio affecta erat: graves dolores parabat, materiae aquaticae effluvio intus turgescebat motaque edidit crepitationem. Hoc ab tempore ad illa, quae diximus, symptomata haemophiliae accesserunt etiam voluntariae sanguinis profusiones in textum cutis et in textum subcutaneum, ambitu circiter neogrossi usque ad magnitudinem manus, saepissime in crure, in tibiae continuitate. Abibant, postquam quinque dies usque ad quatuor hebdomades manserant et solitas sanguinis sub cute effusi mutationes absolverant. Cutem superiacentem paullulum sursum tumefaciebant, durae erant pressaeque magnos excitabant cruciatus.

Hoc igitur modo morbus variante typo se manifestabat usque ad extremum Aprilem anni MDCCCLXII, quo post-



quam quatuordecim diebus ante sanguis sponte e naribus emanavit, convulsiones epilepticae ingruerunt. Aegroti testimonio varii prodromi eas antecedeabant: tum bulimus, tum insoliti sensuum casus, hallucinationes, scutillarum conspectus, visiones deformes. Ante ipsas convulsiones aegrotus magno angore vexabatur, tum frigore tum aestu laborabat membris agitatis. Caeteram ipsae illae convulsiones vehementissimae et perfectae epilepsiae naturam prae se ferebant. Paene quotidie et interdiu et noctu eiusmodi convulsiones longiores brevioresve fiebant. Quas haudquam plena euphoria subsequabatur, sed interdum perfecti status maniacy apparebant. In quibus aegrotus furentis instar in omnia saeviebat, quodvis morsu et manu divellebat, cultrum corripuit se laesurus eque fenestra se praecipitare cupiebat. Somnus eius noctibus nullis convulsionibus interruptis plerumque terrificis visionibus turbabatur atque persaepe aegrotus premi sibi videbatur impetu epileptico, qui tum postridie etiam revera evenire solebat.

Hoc tempore Rothacker salutem petiit a regio, Rombergi viri amplissimi doctissimique auspiciis florente, instituto policlinico, cuius ex libellis haec de illius statu repeto:

„Mensis Maii, dies VII: Aegrotus infirmus, multum et per noctem et per diem dormit, appetitus mediocris, sudoribus valde laborat. D. XIII. Profusam epistaxem convulsiones sequebantur tempore vespertino, quibus praeteritis non euphoria, imo vero deliria orta sunt. Praecessit convulsionibus cephalgia cum magno psychica exaltatione.

Rep. Acidi sulf. Hall. III Dr. D. s. 3 mal tgl. 10 Trpfn.

Praeterea:

Rep. Ol. Iecor aselli VI Unc. D. s. 2 mal tgl. 1 Essl.

D. XX. Post hamorrhagiam ex naribus iterum convul-



siones exortae sunt, quae usque ad d. XXIII. h. m. perseverarunt.

D. XXIX. Tempore matutino hora VII. usque XII., meridie hora I. usque II., vespertino hora VI. usque VIII. convulsionibus puer affectus est, quas deliria sequebantur.

Mens. Iuni, d. X. Quamquam vehementes illae convulsiones non amplius adfuerunt, quotidie tamen aegrotus animi deliquiis rursus capitur, quae plerumque exiguae convulsiones cum deliriis sequuntur. Genu dextrum tum magis tum minus tumescit et vehementibus usque ad pedis digitos pergentibus doloribus vexatur. In regione dextra inguinali ecchymosis palmae manus fere magnitudinis conspicitur, cui iam aliae in cruribus praecesserant.

D. XIII. Genu tumor aliquantum decrescit, sed in regione lienali magnos dolores aegrotus se sentiri dicit. Lienis volumen non admodum auctum est. Per octo dies puer horripilationibus saepe capitur, quas sudores sequi solent. Haemorrhagiae non amplius apparuerunt neque minus convulsiones.

A die XVII. ante calendas Iulii exceptis vagis doloribus rheumaticis plena erat euphoria, per quam puer quotidie in flumine corpus abluebat. Extremo demum mense Septembri ecchymoses sub cute redierunt atque etiam impetus epileptici denuo, sed in alia forma, eruperunt.

Tertio die ante Id. Nov. MDCCCLXII. aegrotus curandus mihi Rombergi, viri illustrissimi, comitate permisus est.

Pro aetate eius corpus modice tantum excultum est. Color mira est tenuitate, habitus mediocriter anaemicus, venae cutaneae totius fere corporis valde completae atque pellucidae. Capillae sunt flavae, oculi caerulei; ceterum corpus iusta ratione est formatum, et mens haudquaquam mala excellit intelligentia. Functiones oculorum et aurium



attenuatae sunt, ita ut saepe „mouches volantes“, ut Franco-Galli dicunt, appareant. Adest diplopia, exigua paralyti musculi recti int. dextr. orta. Qui status duodeviginti graduum prisma tollitur. Quae adest autem myopia, perspicillo numeri X. removetur. Vis memoriae paullulum est attenuata. Volumen splenis mediocriter est auctum. Interiorum organorum praeterea mutationes nullo modo statui possunt. Regio lumbalis sinistra a columna vertebrali usque ad eiusdem lateris regionem hypochondriacam in altiore inspiratione et in flexu, pressa praecipue maiores minoresve efficit dolores, qui ab extremo demum mense Septembri exstiterunt. Articulatio genu dextrius mota dolorem affert atque condylus internus femoris dextrius tumore haud exiguo affectus est. In capsula articulationis et bursa mucosa tenue est effluvium aquaticum. In regione iliaca sinistra subcutanea apparet ecchymosis, quatuor fere digitorum quadratorum, quae per nonnullos iam dies durans sua sponte evenisse dicitur. Ceterum aegrotis status universalis satis bonus est, nisi quod interdum frigore tentatur. Arteriarum pulsus singulis minutis sunt LXXXVIII, admodum exigui.

In regione tuborum frontatum utrimque sunt duae haud leves cicatrices, quarum sinistram puer tres annos natus casu in acutam aliquam aciem accepit, cute in continuitate discissa, sanguine vehementer profuso, sensimque tantum, sed sine magnis impedimentis valetudine restituta. Dextra autem profecta est a casu in viam stratam ante quatuor fere annos. Magna orta erat contusio, cui hirudines impositae, quamvis multum sanguinem detraherent, tamen exiguum tantum afferebant mutationem. In nosocomio igitur illo, cui nomen est Bethaniae, Berolini, aegroti contusio cultro aperta et sanguinis coagulum remotum est.



Quo facto compressione sanguinis profusio haud violenta repressa est.

Posteriore tempore saepius evenerant convulsiones epilepticae, quas observandi illo iam die occasio mihi est oblata:

Levi praegresso oris rubore aegrotus subito media in enunciatione caput in pectus demisit, expalluit, oculos semiclausos modo sursum modo introrsum vertit, superioribus extremitatibus, quae spastice extendebantur, trepidavit. Conscientia et sensus plane non adfuerunt. Deinde vultibus eius nonnullis spasms convulsis post pauca temporis puncta totus impetus — Franco-Gallico „petit-mal“ respondens — praeteriit. Aegrotus, ut post duos illos impetus paene sine intermissione consecutos, ita tunc quoque asseveravit, ante convulsiones eadem insolita sensibus suis accidisse.

Datum est aegroto:

Rep. Ferri hydr. gr. IV. Pulv. rad. Rhei gr. III. Sacch. gr. X. M. f. p. D. s. 3mal tgl. 1 Pulver.

Praeterea commendatae sunt quotidianae frigidae lavesiones columnae vertebralis et spongiae aqua frigida imbutae in vertebri colli alligatio quotidie dena minuta.

Sequentis diei (Nov. XII) initio novo impetu paucorum momentorum facto aegrotus convulsionibus vacabat usque ad diem XVI. Nov. Huius diei horis antemeridianis dextrius genu articulationem plane sanam inveni, sinistri autem pedis phalanges et articulatio tibio-tarsalis paullulum lumefactae erant et dolebant. Ecchymosis cutanea in regione iliaca sinistra prorsus evanuerat. In sinistri genu articulatione prope patellam parvula apparuit ecchymosis. Aegrotus in ipso mihi interroganti respondendo expalluit, de aurium sonitu et frigore conqueritur brevique corripitur impetu, post quem cubitum it. Paucis vero momentis post brevissimis intervallis tres sequuntur impetus multo violenti-



tiores: primum contractiones tonicae factae sunt, extremitatibus extensis, capite reflexo, ore spastice clauso, oculis deorsum et introrsum versis, cordis pulsu et anima non auditis. Deinde convulsiones clonicae secutae sunt, vehementes vultuum spasmi, oris invicem apertio et conclusio, dentium compressus. Caput omnes in partes agitabatur agitatumque aliquantum temporis in pulvinos reiciebatur. Totum corpus, contractorum trunci musculorum ludibrium, temere modo sursum modo deorsum modo in obliquum iactabatur. Hoc impetu per pauca minuta facto post plenam nonnullorum momentorum euphoriam novus eiusdem generis secutus est cum aegroti murmuratione cantus simili coniunctus. Corporis temperatio interea in thorace erat normalis, in extremitatibus autem, praecipue inferioribus, admodum depressa. Os valde erat exsanguie. Impetum secutae sunt graviores animae meatus, pectoris et capitis dolores usque ad vesperam. Regionis lumbalis sinistrae dolores aucti erant atque appetitus plures per dies deerat.

Quamquam novae convulsiones epilepticae Novembri non eveniebant, valetudo universa tamen turbabatur. Aegrotus enim saepius conciabatur vehementi totam per calvam extenso capitis dolore, interdum unum diem permanente. Appetitus raro tantum aderat.

Die XXVI. dextri genu articulatio denuo doluit et profluvio in capsula tumefacta est, ita ut flecteretur quidem non difficile, extendi autem ultra rectangulum non posset. Ipsa patella saltabat. Sed infricto ung. Kalii iod. tumor et dolor tertio iam die plane evanuerunt. Eodem autem XXX. Novembr. die utraque carpi articulatio, quoties movebatur, simulque sinistra regio lumbalis dolebant.

Parvae ecchymoses ortae et sublatae sunt solito modo. Aegrotus querebatur de hebetate capitis pressione et perpetuo ante oculos tremore. Somnus recta erat diurnitate,



sed concitatis et terribilibus somniis saepe interrompebatur.

Tumores et dolores tertio iam die mens. Dec. diffugerunt, ita ut valetudo aegroti universa prorsus non turbaretur.

Die VII. autem articulationes carpi iterum leniter tumefiebant, appetitus exiguus erat, somnus inquietus vehemensque capitis dolor, qui IX. etiam die, quo caetera evanuerunt, permanebat.

Die XIII. denuo parvae ecchymoses apparuerunt, quarum una praecipue, musculum abductorem hallucis brevis dextri pedis occupans, quoties premebatur, magnos parabat dolores. Capitis autem dolor discesserat.

Die XV. Iam ecchymoses illae manent; oculi saepe „mouches volantes“ et diplopia afficiuntur. Aegrotus saepe terrore ex somno excitatur, certo sibi visus cadere.

Die XXVI., usque ad quem diem morbi status idem fere erat, capitis dolore aucto, sua sponte e naribus sanguinis profluvium accidit, cuius observandi nobis metipsis nulla fuit occasio. Aegroti autem testimonio quadrante horae ante illud gravis quidam dolor fossam suprasternalem pervasit, spiritusque sine difficultate duci non potuit. Sanguinis pondus sex unciarum usque ad novem amisisse, ipseque sanguis cito concrevisse dicitur. Quae sanguinis profusio plures per dies redibat, minus quidem vehemens. Aegroti caput minus dolebat, ipse autem tanta laborabat virium defectione, ut saepe animus eum relinqueret. Plurimumque ceterum sanguis ex sinistra tantum nare fluebat, in largissimis autem profusionibus etiam ex dextra, sed semper minus. Guttae nonnullae, si fluebant, sanguinis ex dextra nare profluere solebant. Haemorrhagiarum per dies aegroti alvus, quae ter aut quater singulis diebus eiiciebatur, tenuis et sufflava erat. Urina initio valde lu-



tosum habebat sedimentum, postea autem plane clarum ostendebat colorem.

Die XXVIII.: Appetitus deficit, saepe ad vomendum aegrotus inclinat; arteriarum pulsus exigui et centeni singulis minutis sunt. Puero firmi cibi et aliquid boni vini praebentur.

Die XXXI. aegrotus, quum domum prodiisset, doloribus sinistrae extremitatis inferioris, praecipue articulationis tibio-tarsalis, haud leviter tumefactae, vexatus est atque primo die Ianuarii MDCCCLXIII. anni iterum praegressa aura convulsiones epilepticae evenerunt eodem, quo antea factae erant, modo. Euphoria ei non statim contigit, sed conscientia vacuus iacebat et postero demum mane articulate loqui poterat. Iam quotidie eiusmodi impetus accidebat usque ad diem IV., quo etiam sinistrae extremitatis dolor desiit. Ecchymoses interea exiguae erant magnitudine. Nonnullae sanguinis guttae quotidie usque ad diem VIII. ex nraibus fluebant. Aegrotus admodum est exsanguis. Regionis lumbalis dolor rediit, tamen sine ullo magno lienis tumore. Magna laborat languitudine multumque dormit. Arteriarum pulsus imbecilli et centeni deni sunt. Memoria valde est attenuata, capitis dolor vehemens, appetitus exiguus.

Primo Februarii die sinistri genu articulatio denuo doluit et usque ad diem IV. magnum liquoris profluvium in eam factum est, ita ut immota leviter esset flexa vehementerque doleret. Aegrotus interdiu magna inquiete et noctu insomniis laborabat. Hue accessere nonnulli breves impetus epileptici, quos exigua haemorrhagia secuta est. Pulsus octogeni maiore, quam solent, sunt intentione. Totum corpus sudorem effundit. Ceterum magnopere est attenuatus; in lingua, quamvis pura, amarum sentit saporem minimumque habet edendi desiderium. Caput non dolet



quidem, sed iniucunda est gravitate. Lucis citamenta mediocrem tantum in pupillos vim exercent. Conscientia compluries evanescit ita, ut oculis semiclausis confuse loquatur, interrogantibus perplexa det responsa, atque si clara voce nominatim vocatur, cohorrescens adstantes cognoscat. Saliva bullans ex ore destillat. In cruribus parvae apparent ecchymoses.

Hic igitur status interdum interruptus manebat usque ad diem VI. mensis Febr., quo omnia morbi symptomata tantopere decrevere, ut aegrotus integra cum conscientia lectum reliquerit. Genu articulatio paullulum tumefacta dolore prorsus paene vacat. Utraque autem regio hypochondriaca haud leviter dolet. Sequentibus diebus nulla facta est mutatio, praeter quam die VII. et VIII. aliquid sanguinis ex dextra nare effluxit.

D. XX. aliquod bullis similes et eminentes apparuerunt ecchymoses in cristis tibiæ, praecipue in maiorum venarum continuitate conspicuae; eiusdem generis duae in dextro femore inveniuntur. Affectiones rheumaticae admodum deserere. Capitis autem dolor interdum tam est vehemens, ut quies nocturna aegroti turbetur. Praeterea nonnunquam ex dextra nare aliquod sanguinis guttae profluunt. Urina est claro colore et pondere specif. 1,022. Medicina ei praebetur:

Rep. Tinct. Ferri pom, III Dr. Ds. 3 mal tgl. 10 Trpfn.

Vespere die XII. inferiores extremitates vexatae sunt doloribus rheumaticis, quibus nox valde inquieta successit. Postero mane dextri genu articulationem magis, quam unquam antea, tumefactam esse vidimus. Deliria in paroxysmis eveniebant, quae post quinque minutorum soporem euphoria sequebatur. Oculi sunt semi clausi, extremitates sine ullo motu extensae. In sinistri cubiti cute locus est fulvus diffuse expansus. Idem fere est hypogastrii color,



antea magis exsanguis. Arteriarum pulsus sunt: 95. Noctu aegrotus doloribus rheumaticis ita erat conflictatus, ut ne tantillum quidem temporis connivere potuisset.

Die XXIII. iis tantopere est agitatus, ut paene nequiret iacere et quavis corporis parte tacta magnum ederet dolorem. Idem soporis status apparuit, deliriis dimidia horae intervallo compluries accedentibus. Os admodum rubet; arteriarum pulsus, non sibi constantes, sunt: 100 admodum exigui. Urinae pond. sp. est: 1,015. Hora secunda postmeridiana spontanea sanguinis profusio ex dextra nare evenit, librae paene magnitudine, quinque per horas cum intervallis durans. Nona hora vesperis aegrotum admodum infirmum et debilem inveni. Arteriarum pulsus erant: 115, pond. sp. urinae erat: 1,020. — Analysis chem. quant. nos docebat haec:

905,04	Wasser.	} in 100 Gew.thln. Blutflüssigkeit.
79,54	Albumin.	
4,35	Fibrin.	
1,82	Fette.	
5,43	Lösl. Salze.	
3,82	Extraktivstoffe	

Pond. specf. seri sanguinis erat: 1,028.

Die XXIV. post noctem doloribus rheumaticis valde turbatam hora septima puer iterum magnam sanguinis quantitatem ex naribus amisit, ita ut non possem quin duplicem, tubulo Belocqui adhibito, tamponadem facerem. Quo facto sanguinis profusio quidem desiit, sed puer magnopere enervatus et infirmatus erat, ita ut saepius animus eum relinqueret. Pulsus, qui paene sentiri potuerunt, erant: 128. Cutis humet, urentique aegrotus cruciatur siti.

In cristarum tiliarum continuitate constant etiamnunc parvulae illae ecchymoses; dextri genu articulatio tumere et dolere pergit. Ventris tegumentorum cutis lurido ob-



ducta est colore usque ad epigastrium. Regiones hypochondriacae haud levi conflictantur dolore. Aegrotus per proximas viginti quatuor horas molles et helvolas faeces quater exinaniverat. Urina ultimis sex horis exigue emissa, post ipsam emissionem crassam lutosumque ostendebat uricorum salium sedimentum, tertiam fere partem ponderis universi faciens.

Pondus eius spec. erat: 1,048.

In venis iugularibus clari audiebantur fremitus, quos nos dicimus „Nonnengeräusche.“ Noctu puer diu et arcte dormivit.

D. XXV. mediocriter bene se habebat. Dolores aliquantum defecerant, arteriarum pulsus erant: 96, urinae pond. sp. 1,028. Ventris tegumenta solitum colorem receperunt; faeces autem etiam tum erant molles et helvolae.

D. XXVI. In dextro humero, in insertionis loco musculi deltoidis diffusa, et si premis, magnopere dolens apparet ecchymosis, cuius in caesio fundamento maculae obscuriores cernuntur, magnitudine dimidiae volae manus. Sinistri genu articulatio paullulum tumet, atque patella insolita est motilitate, in qua clarus auditur crepitus. Pulsus exigui sunt: 112. Cultis humet; urinae pond. sp. est: 1,020 Noctu aegrotus satis quiete dormivit posteroque mane nonnullis sanguinis guttis ex dextra nare profusis paucas tantum de doloribus querelas edidit. Dextri genu articulatio nondum prorsus libere movetur. In tibiaram cristis aliquot parvulae ecchymoses constant. Diplopia et „mouches volantes“ redierunt. Pulsus sunt: 96.

D. XXVIII. tempore postmeridiano compluries facta est exigua haemorrhagia ex naribus, cui auditus et visus hallucinationes et postea status semisoporosus, cum deliriis coniunctus perque totam noctem manens, successerunt.



Primo martis die saepius de „mouches volantes“ aegrotus conquerebatur; cutis humebat; exigui arteriarum pulsus erant: 126. In dextri genu articulatione tenuis tantum fluctuatio constabat, dolores autem prorsus diffugerant. Vespere nonnullae sanguinis guttae ex dextra nare profluxere. In colli venis semper fremitus ille auditur. Noctu puer satis bene dormivit atque die II. status rheumaticus plane fere evanuerat. Pulsus sunt 120. Urinae pond. sp. est 1,012. Aegroto datum est:

Rep. Inf. rad. Calami III. Dr. III Unz. Tinct. Ferri pom. I Dr. Syr. simpl. I Unz. M. d. s. 3 ml. tgl. 1 Essl.

Die IX. universa quidem valetudo satis est bona, sed appetitus deficit. Dextri humeri ecchymosis penitus fere concidit, sed sub ea minor magis circumscripta exstitit. Motae dextri genu articulationis magnus auditur crepitus sed ita, ut fluctuatio non sentiatur. Pulsus sunt: 100, maiore quidem vi, quam alias, sed non constanti.

Die X. dolores rheumatici in dextro genu et brachio redierunt, praecipue in ecchymosis iam lucidae loco.

Die XI. puer frigore, visus obscuratione, vehementi capitis, quoties reflectebatur, dolore laborabat. Non minus dolebant fossa iugularis et regio musculi sternocleidomastoidei. Pulsus sunt: 100. Urinae pond. sp. est 1,010.

Die XII. truncus praecipue doloribus affectus erat. Tempore postmeridiano aegrotum ambulans, saliva aquae modo ex ore fluente, vomendi desiderium invasit, ita ut consistere coactus difficile spiraret et loqui plane non posset. Quo statu pauca post minuta transacto de gravitate tantum membrorum querebatur; hora autem post exigua ex dextra nare sanguinis profusio accidit, vespere iterata.

Die XV, dextri genu articulatio etiamnunc paullulum tumet, dextri autem humeri ecchymoses prorsus conciderunt.



Puer interdum de gravi capitis sensu, aurium sonitu, visus deminuatione conqueritur. Cibum libenter sumit; difficile vero gradus scandit, quum latera et vox facile deficient. Venter inflatus et duratus est, ac ei premis, dolet praecipue in faecum normalium exinanitione.

Inde ab hoc tempore omnia morbi symptomata quotidie defecere, ita ut aegrotus bene se haberet, donec die X. Apr. ad vesperum exigua epistaxis evenit, quam postridie septem aliae, eaeque largiores sequebantur. Puer plures per horas conscientia carens delirabat planeque ex sanguine erat habitu. Tribus diebus proximis praeter repetitas exiguas epistaxes, nonnullae parvae ecchymoses in sinistra tibia apparuerunt. Dextra articulatio tibiotarsalis mota pressave magnos efficit dolores, sed ita, ut nullus videatur tumor. Praeterea nulla editur querela, appetitus haud deest; pulsus numerantur: 88.

Data aegroto est haec medicina:

Rep. Liquefacti Ferri sesquichloridi. Dr. I. Aquae Fontanae. dr. III.

M. d. s. 3stndl. 8 Tröpfchen in Wasser.

Initio mensis Augusti 1862, quum adessem Berol., videndi aegrotum occasione usus sum. Neque haemorrhagiae neque convulsiones ex illo tempore exstiterant; paucae tantum ecchymoses apparuerunt. Saepius autem rheumaticis doloribus affectus erat, quippe qui lavando quotidie in flumine paullatim evanuiscent. Dextri genui articulatio paullulum tantum affecta erat. Per quatuor hebdomades puer panaritio in haluce dextra laboraverat, in cuius incisione mediocris tantum sanguinis profusio facta esse dicitur.

Revera, admodum validum atque hilarem puerum tum inveni.



### III. Haemophiliae theoria.

Ex quo omnino hic morbus maxime memorabilis accuratius observari coepit, etiam theoriae ab aliis alio tempore in medio positae non deerant.

Ita Rieken anno 1829 originem haemophiliae ab innata dyscrasia arthritica duxit, quod idem iam Nasse significaverat et Elsaesser anno 1824 plane fere contenderat. Dicit enim Rieken, rationem suae sententiae redditurus:

- 1) „Recentiores eos tantum ad mortiferas haemorrhagias inclinare observaverunt, quorum parentes vel avi arthritide laboraverunt.
- 2) In familiae personis haemorrhagia liberis ordinis directi et linearum transversarum mala arthritica haud raro observantur.
- 3) Eadem semper fere in ipsis haemophilis atque praecipue vicissitudo eorum cum ipsis haemorrhagiis animadversa sunt.
- 4) Arthritis arctissime cum vasis et sanguinis systemate cohaeret saepeque haemorrhagias efficit.“

Quae primo et altero loco sunt dicta, ea vere se habere



haudquaquam semper comprobatum est. Etenim quamquam constat, hunc morbum hereditarie magis quam congenitaliter oriri, tamen interdum demum conflatur factumque est, ut multae familiae cum diathesi haemorrhagica confluentes nec ipsae, nec earum parentes arthritide laboraverint. De tertio loco monemus, affectum rheumaticum saepe non succedere sanguinis profusionibus, imo utraque eodem saepe tempore maxime intendi, ut eo, quem nos observavimus casu. De quarto tandem loco concedo quidem, affectiones arthriticas admodum pertinere ad vasa atque haemorrhagias, sed veresimilius mihi videtur, utrumque affectum esse secundarium, quam alterum ab altero dependere.

Post hunc Schliemann anno 1828 contendit, haemophiliam connexam et aptam esse cum serophulosa dyscrasia, oblitus tamen, habitu serophuloso saepissime et ipsos haemorrhagiis laborantes et eorum familiam carere. Habitus erethicus non semper est serophulosis.

Porro ne Heyfelderi quidem sententia, qua haemophilia ab innata dyscrasia arthritica eademque serophulosa deducitur, plane est certa.

Deinde Meckel, Nasse, Elsaesser causam positam esse putaverunt in insolita sanguinis compositione atque idcirco quidem, quia sanguis non posset concreescere, i. e. quia fibrinum, quo vasorum thrombosis prohiberetur, deficeret. Quae opinio primum confutata est quadragesimo huius saeculi anno a Grandidier, Meinel, Besser, quippe qui sanguinem profusum concreescere viderent.

Tum microscopicis et chemicis inquisitionibus apparuit fibrinum non modo non deesse, sed etiam compluries augeri. Semper autem distinguendum est, sanguis inspectus recens ne



sit profusus, an iam plures per dies consistens, hydraemia sanguinis mutatio effecta sit.

Porro, si Vogel haemophilia ab indole scorbutica proficisci videtur, uterque morbus multifariam quidem consentit, sed et propria eius symptomata manifesto diversa sunt et momenta aetiologica multum discrepant: nunquam scorbutus congenitali aut hereditaria est origine, nunquam haemophilia endemica vel epidemica est natura, nunquam scorbutus cum tanta haemorrhagiarum vehementia coniunctus est, nunquam denique impulsus traumaticos sanguinis profusiones insolita magnitudine sequuntur.

Autenrieth et Wedemeyer viam neurologicam ingressi causam continere vitiosa innervatione vasorum parietum et horum atque capillarium parietum deformitate statuerunt. Quae opinio haud sane cum indignatione reiicienda est, quippe ex vitiosa innervatione vasorum parietum et horum atque capillarium parietum deformitate, si non omnia, at multa intellegi possunt symptomata. Est hoc quidem fundamentum infirmius, quam in quo morbi ratio statuatur, sed certe non est, ut despiciatur. Vasorum autem conformationi certa quaedam propria esse et peculiaria ex commemoratis autopsiis haud firmiter colligi potest, sed Schoenlein, Hooper, Liston arterias pertenui pariete obiectas esse saepe animadverterunt, atque Blagden (a. 1817.) vidit parietem capitis arteriae sanguinem fundentis eadem esse tenuitate atque venae, idemque hominem profusa ex cavo dentis haemorrhagia mortuum dissecans in diversis locis ramorum arteriae carotis externae.

Fischer arteriarum parietes tenuissimas earumque membranam elasticam admodum pellucidam esse invenit.

Rokitansky porro vasorum conformationem pertenellam



se observasse dicit. Accuratissime autem ea, quam Virchow anno 1857 in corpore hominis haemophilia mortui instituit sectio a Lemp in dissertatione Berolina descripta est. Conspicua hic est aorta in radice pinguetudine degenerata, in continuitate angusta et tenuis eademque valde elastica; parvarum autem arteriarum et capillarium nulla cernebatur mutatio.

Aliis in observationibus vasorum mutationes ostendi omnino non potuerunt, atque quamquam Schoenlein et Escherich mancae musculorum septi cordis et valvularum aortae conformationi maiorem vim tribuerunt, Virchow tamen hunc defectum diathesi haemorrhagica carere tam saepe animadvertit, ut inde haud ita multa repetenda esse mihi videantur.

Virchow ipse viam pathologicam anatomicam, cuius veritas initio maior videbatur esse, ingressus coniecit ex liene forsitan, quippe cuius volumen in sectionibus saepe auctum reperisset, haemorrhagiam proficisci eiusque hypertrophiam esse hereditariam:

In iis enim, qui cum lienis tumoribus cohaerent morbis, saepenumero varias haemorrhagias observari. Iamvero ipse Virchow l. c. dicit, parum recte omnium eorum morborum, qui in diathesi haemorrhagica positi essent, originem duci ab ipso liene, qui ut pote mollis et teneris vasis abundans omnibus morbis, qui nutritionem vasorum parietum afficiant, hyperaemia affici necesse esset.

Deinde, quod Rieken ex sinistra tantum nare sanguinem profluere se vidisse contendit, hoc ad lienalem originem comprobandum, nil plane valet, quia compluries etiam ex dextra et ex utraque nare sanguinis profusionem fieri diligenter observatum sit. Denique monendum est, non



semper lienem auctum fuisse. Etiam si autem lien unus et solus fons esset, tamen diversae illae haemorrhagiae earumque natura haud forent explicatae.

Proximo iam tempore observantium diligentia haemophiliae exempla multo plura enarrata sunt, quae et ipsa et ea, quae inde consequuntur, Grandidier in analibus practicae medicinae ed. Schmidt 1863. no. III composuit. Ego moneo tantum hoc loco, ecchymomata haudquaquam plerumque externis causis ut pulsu oriri, immo me, postquam aegrotus convulsionibus furentis instar circum se feriit, nunquam fere ecchymomata animadvertisse.

His ex indiciis nostro tempore notis ut haemophiliae theoria statuatur, fieri quidem nequit sine nonnullis coniecturis, sed posterius has lacunas supplere aut mutare studebunt.

Postremo igitur haec etiam afferre velim. Constat inter omnes, omnium sanguinis profusionem necessariam conditionem esse, continuam vasorum separationem. Constat porro, eam non semper oculis monstrari posse, statim post haemorrhagiam, immo Virchow inquisitionibus microscopicis sibi persuasit, interdum in capillaribus et tenerioribus arteriis vel venis parvula illa foramina, ex quibus sanguis profluxerat, post proflusionem claudi, evanescere eoque modo vasis permeabilitatem manere. Non igitur erit cur miremur, quod aliquoties post voluntarias haemorrhagias, nullas animadvertimus vasorum continuas separationes. Nervi vasomotorii hic praecipue digni sunt, quorum rationem habeamus. Iam vero, quomodo rupturae vasorum oriantur quaerimus. Quas sanguinis mutationibus effici posse, quamvis sit certum, tamen ex analysi qualitativa



et quantitativa propriam causam in illis positam esse haud iure putabimus. Necesse igitur est, accuratius quomodo sanguinis massa ad vasorum lumina et ad vasorum parietum naturam se habeat, considerare. Quum autem neque auctum esse sanguinem neque eius compositionem mutatam certe confirmare possimus, vasorum parietes diligentius sunt inspicendi. Fac ut evidens marcor aut fragilitas aut teneritas vasorum parietum adessent, normali sanguinis pressu rupturae et haemorrhagiae facile gignerentur, sed maiorum vasorum mutationes pathologicas in haemophilis raro tantum capillarium nulla invenimus. Paeterea autem sine eximia quadam parietum tenuitate et sine mutationibus anatomicis fragilitatem vasorum constare posse ex elasticis imprimis partibus in quibus nulla mutatio cernitur colligere licet. Atque haec quidem in haemophilia magnopere sane audax est coniectura. Semper certa quaedam ratio inter sanguinis pressus vehementiam et inter reluctandi vim quae in vasorum parietibus constare debet. Pressus augeri potest a corde adversus peripheriam, aut vice versa a venis. Atque huius quidem pressus conditiones a corde eadem manere possunt et nihilominus certis locis tensio adeo crescere, ut rupturae oriantur. Sin vero pressus admodum violentus est, ut in hypertrophia cordis sinistri, saepius sanguinem profluere novimus. Deinde cor ipsum solito more moveri potest sed arteriarum mutationes fiunt. Sic titilatione relaxatio musculorum quibusdam in locis oriri potest, ita ut sanguine vehementer in eos penetrante rupturae accidant. Nonnullis igitur casibus fragilitatem vasorum degeneratione parietis carentem supponere licet. Si arteriae angustae et transversae earum diametri sanguinis pondere minores sunt, parietes enormiter prementur. Quae haemophiliae theoria confirmatur sane cadaverum inspectione a Virchow facta,



qui interdum haemophilis aortam angustissimam atque tamen elasticam, unde magna ad haemorrhagiam inclinatio consequitur observavit. Quum autem etiam in chloroticis, qui raro sanguinis profusionibus afficiuntur, eadem animadvertatur conditio, haec unica causa esse nequit. Cur porro haemophili plerumque largissime sanguinem profundunt, vel ut aliis dicam verbis cur non vasorum thrombosis legitimo tempore venit?

Fibrini autem inopiam, ad quam antea omnia temere referre solebant comprobare nostro cum dolore non possumus. Foret sane sanguinis pressus quolibet modo auctus hic nostrae sententiae adminiculum, sed mihi lominus putandum nobis esset, eum certo tantum tempore aut certis quibusdam vasorum locis augeri. Vellem igitur nervis vasomotoriis haud exiguum nostri morbi partem tribuere, causam positam esse ratus, in certis nervorum intentionis rationibus, sed ita ut locus intentionis mutetur. Negari non potest, spontaneas haemorrhagias paroxysmi instar evenire, neque animi affectus et tempestatis vicissitudinem nullam vim exercere. Locus porro haemorrhagiae non idem est in omnibus aegrotis, nec plane ibi semper ubi vasa tenuissimis iuncta sunt parietibus, sed cuivis solet esse locus minoris resistentiae. Eodem modo se habent ecchymomata, quae possunt quidem per totum corpus esse dispersa, sed plerumque in alio alibi animadvertuntur.

Haemorrhagiae denique laesionibus externis ortae solent sane satis esse largae, sed novimus, exigua vulneratione in eodem homine tum parvam tum maximam haemorrhagiam, tum etiam mortem effici posse.

Ex iis igitur, quas adhuc attulimus, rebus videtur no-



bis dispositio haemorrhagica posita esse in vitiosa certarum vasorum partium evolutione, in praecipua vasorum parietum fragilitate, inque imperfecta eorum innervatione, sed cum temporum intervallis et locorum vicissitudine.



## V I T A.

Natus sum Richardus Otte, Fröhden, pago Brandenburgense, anno 1840, patre Henrico, matre Amalia, e gente Otto, quos adhuc superstites pio gratoque animo colo ac veneror, quosque Deus in posterum mihi servet incolumes. Primis litterarum elementis a patre carissimo domi eruditus, gymnasium adii Wittenbergense. Quod quum per septem annos frequentassem, testimonio maturitatis munitus Bonnam me contuli, ibique quatuor per semestria scholas frequentavi, apud facultatem medicam nomen professus. Inde Herbipolim profectus per semestre praelectionibus virorum illustrissimorum interfui. Tum per semestre Berolini studia continuavi. Iterum Bonnam reversus dua per semestria in hac alma litterarum sede moratus sum.

Per haec semestria scholis interfui et medicis et philosophicis atque disserentes audivi hosce viros illustrissimos, celeberrimos, experientissimos:

Bonnae: Albers, Binz, Bischof, Busch, Doutrelepont, Kilian, Knoodt, Naumann, Noeggerath, Pflüger, Plücker, Saemisch, Schaaffhausen, M. Schultze, Troschel, de la Valette St. George, C. O. Weber, M. J. Weber, Wutzer;

Herbipolis: Bamberger, Foerster, v. Franque, Geigel, Linhart, v. Marcus, Rinecker, v. Scanzoni;



Berolini: v. Baerensprung, Frerichs, Langenbeck, Romberg.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias habeo quam maximas, semperque habebo.

Praeterea facere non possum, quin gratias quas possum maximas agam viris spectatissimis, professoribus illustrissimis, W. Busch atque M. Schultze, ob summam ergo me humanitatem et benevolentiam.



## **T H E S E S.**

---

- 1) *Rhinoplastice e fronte illi e brachio est praeponenda.*
  - 2) *Atropinum in iritidem optimum remedium antiphlogisticum.*
  - 3) *Pulmonum docimasia non sufficit ad infanticidium constituendum.*
  - 4) *In haemophilis ecchymomata in cutem plerumque sua sponte exoriuntur.*
-



T H E S I S

- 1) Rhinoplastice a frogs illi e brachio est propehendenda.
- 2) Atropina in istidem optimum remedium antidotale  
gastrium.
- 3) Pulmonum doctum non sufficit ad infundendum  
constituendum.
- 4) In haemophilis echymomatibus in cutem plerumque sine  
sponte exoritur.